



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XIX. Machinarum bellicarum consideratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

rauerunt. Iterum eod. lib. Ducenta falcata quadriga, vnicuique illarum gentium auxilium, secuta sunt: ex summo temone hasta praefixa ferro eminebant. Verumq; à iugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura spicula eminebant in aduersum. alia deinde falces summis rotarum orbibus herebant, & alia in terram demissa quicquid obviam concitatis e-quis fuisset amputatura. Ipse Alexander ordinibus solutis excipere iussit, Sylla palos fixit. Heluetij cū Gallias occupare statuisent, creuerunt ad iumentorum, carorum maximum numerum, per biennium quam maximas messes fecerunt, foedus cum vicinis ciuitatibus, deinde cum egressuri essent, singulos trium mensium molita cibaria habere iusserunt. Caesar l. i. belli Gallici.

Erant currus illi ad munimenta, vt suo loco dicam, & simul necessaria conuehenda.

Elephant.

§. 3. Elephantorum olim formidulosa fuit in praelium inductio. Pyrrhus primus in Italiam duxit.

§. 4. Elephantos etiam inutiles fecere Romani; & nunc fere noxii sunt, quia facillime in suos vertuntur. olim cataphractos in curribus aduersum beluas collocabant, qui satissas, hoc est, longos contos dirigebant. alij milites cataphractos, & vndiq; cuspidibus eminentibus munitos, ne apprehendi possent à probofide immittebant, alij funditores, & sagittarios. Spacium inuadendi dabant, & circumdatas cum magistris capiebant. Balistis etiam curulibus eos oppugnabant: nunc contra eas tormenta omnia valent, vt vix in praelium ducantur. Elephantos Hannibal 80. ante aciem posuit, Scipio Numidas equites opposuit, communes autem hostes celerentur, quia facile in amicos vertuntur: nulla vi vulnerari potuisse, falso refert Cassid. lib. 10. c. 30. Leuissimo alioqui negotio repelluntur.

Cameli.

§. 5. Camelos equis & elephantis opponere consueverunt. Camelos equitatu Cræsus opposuit, quorum nouitate equi consternati, insidentes precipitarunt. Front. lib. 2. c. 4. Meminit & Camelorum in bellis Plin. lib. 7. c. 18. Haliattes Lydus, Colophonij, Catastabalenses canibus in praelio vsi sunt, quod etiam Magnetes in more habuerunt. Polian. l. 7. Alian. l. 14.

Canes.

Philippus etiam Arbelios in densa sylvarum fugientes per canes venaticos cepit. Polyæn. l. 4.

Sues.

De generosis bestiis minime mirum est, Sues etiam in bellum adduxerunt; animal propter conuiuia natum, & cui anima pro sale sit. Nam grunnitum suis, atque adeo immundum pecus elephas abominatur ac horret. Ideo contra turrigeras beluas interdum adhibitum est.

Megarenses Elephantos Antigoni, porcis quos pice illeuerant, auerterunt. Terrorem vsu alij ademerunt. omnia enim vsitata vilescunt. Persæ elephantos ligneos, ex quibus tuba stridebat, fieri curauit, vt equi illis affluere & contemnere discerent.

Statue.

Non mirum est autem bestiis vsos fuisse, qui statuas etiam ad oppugnationem attulerunt. Nimium rude videtur, quod de Sardibus à Cyro captis dicitur: Nam qua mons praruptus erat, eo malos impositis armatis statuis applicuit, alia deinde parte oppugnationem incepit, sed cum obfessi statuas viderent, iugum ab armatis occupatum existimant, atque ita urbem Cyrus inuasit. Omne itaque quod in medio est prudenti Imperatori arma praestat.

In bestiis quoque artis est, naturas earum excitare, quo possunt modo. Nam cum arte careant, arte aliena regende sunt. Brachium cum festi equi calcantibus agi non possent, equas praemisit, quas insecuti sunt.

Fulg. l. 7. c. 4. Victoria vero in eo sita erat, vt prior fauces montium occuperet.

CAPVT XIX.

Machinarum bellicarum consideratio.

§. 1. **Q**UOD in praeliis, actionibusq; belli sunt stratagemata, hoc in operibus sunt machinae, in his enim, & illis opus est ingenij, prudentiae, sagacitatis, non victum aut sumptuum. Machina itaque opus est ingeniosè excogitatum, factumq; ad effectus, qui alias maiore sumptu, ac viribus egerent: ita dictam putant, & in *ἡ μηχανή* vocant, quod non ab oscitantibus, sed animum attemq; intendentibus fiat. Deut. 20. 20. Ex lignis felicibus *Deus* vetuit machinas instruere quas vocat *מַכְחָוּשׁ* quod muniant, seu fortes efficiant obsidentes. 2. Par. 2. 26. 15. Ozias Ierusalem machinis instruit. Et fecit in Ierusalem diuersi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, vt mitterent sagittas & saxa grandia. Septuaginta vocant *μηχαναὶς μηχανῶν* *ἡ μηχανή* *λογισμῶν*, machinas rationationibus artificis machinatas. Hebraeus vero clarius; *חֲשׂוֹנוֹת מַכְחָוּשׁ*, hoc est, machinas machinationem machinantis: Est vero *חֲשׂוֹנָה* intenta cura, artificioque cogitare, omniaq; animo voluere. Inueta igitur antiquissimis temporibus sunt machinae, quotidieq; nouae inveniuntur; sed tamen si vera fateri volumus, machinae machinarum sunt tormenta bellica, vis pulueris pyrei in tormentis, petartis, suffossionibus. Itaq; nunc fere veterum machinae quasi attonitae cesserunt, & militari fulmini concesserunt.

Machinae
pne ingenij.Bombardae
ceteras ma-
chinas fu-
gerunt.

§. 2. De antiquitate machinarum dubitant Philologi, arbitrantur tamen à Moë venire, & prisca illis. Statius Pylis, & Messeniis bello Troiano attribuit. Romani regū tempore illis vsi sunt, vt docet Liplius l. 1. poliore. Perich arietes tribuit l. 12. Diodorus.

Verū fuisse antiquas machinas docet Moë Deut. 20. 20. vbi imprimis è ligno fiunt, & dicuntur *מַכְחָוּשׁ*, quod obsidionem, munitionem, coartationem significat. Itaque quicquid ad obsidendum, vexandoque obsessos pertinet *מַכְחָוּשׁ* nominatur. Cum autē Moë tempore, & quod praecessit, fuerint vrbes munitissimae, & ad caelum vsque muratae, vt Scriptura loquitur, Deut. 1. 28. Eademq; fuerint expugnatae, vt constat ex bellis Regum Seon, Hesebon, Moab, & Palæstinorum, machinas fuisse constat, quis enim credat, dolabris tantum & lignonibus mœnia disiecta? aut fame captas? machinis igitur vsi sunt.

Deinde Ezech. 4. 2. & 21. 22. & 26. 18. meminit Machinarum tanquam suo tempore vitatarum. Verba eius 4. 2. sunt haec. Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & edificabis munitiones, & comportabis aggerem & dabis coram eam castra, & pones arietes in gyro. Et 21. 22. Ad dexteram eius facta est diuinatio super Ierusalem, vt ponat arietes, vt aperiat os in cade, vt eleuet vocem in ululatu, vt ponat arietes contra portas, vt comportet aggerem, vt adificet munitiones. Et 26. 8. Et lias tuas, quae sunt in agro, gladio interficiet: & circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro: & eleuabit contra te clypeum.

Arietes.

Arietes vocat *אֲרִיִּים* & 70. *Ἀρσενείας*, quod inde tela mitterentur. At c. 26. 8. Quod noster vocat vineas & arietes, in 70. est *ἀγκύρας*, in Hebraeo *אֲרִיִּים קָבֵלִי*, quod 70. *ἀγκύρας* *ἀντὶ*, & lanceas eius, dicitur autem etiam aries Mechā à delendo, quod omnia disiciat *קָבֵלִי* 70. vertunt *ἐναντὶ* contra, noster machinam interpretatus est, quod contra murum ponatur. Vicumque accipiat, de tormentis intelligendum est Kimchi interpretatur ictum tormenti sui, ab balistā. Targum: *רִבְרוּת בְּרִיחֵי*, Et ictum tormentorum suorum. Habebat itaq; suas machinas Chaldaeorum monarchia, credo & Assyriorum, imo iam ante diluuium vsitas crediderim. Atq; hoc quoq; obseruatum est, eas gentes, quae arte & ratione Rempub. instituerunt fere machinis, barbaros vi inconfutata vii. Parhi cum

Romani

Romani testudinem fecissent, rati eos fessos, ab equis descenderunt, & occisi sunt. Dion. in Aug.

§. 3. Vegetius has machinas recenset, Testudines, arietes, falces, vineas, pluteos, musculos, turres. Vitruvius l. 10. c. 20. & 21.

Testudo ex
fuitis, &
militibus.

Testudo scutorum iunctorum est machina: Vfus testudinis, vt muro succederent, eum subruerent. Liu. l. 4. 4. Iuuenes quidam Romani, ludicro Circensi ad vsum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Ascendebant autem & duplicem triplicemq; testudinem faciebant, balista & catapultae non nocebant ob vicinitatē. Primi super capita scuta leuabant, sequentes demittebant, postremi genibus nixi erant, hoc modo equitatu & sagittarios repellabant. Dio in hunc modum describit. Porro testudo talis est, & fit hoc modo. Impedimētū, & leni armaturā, & equite omni, in medium acceptis; grauis armaturae pedites, illi qui oblongis, & in tubi dimidiati modum factis scutis vtuntur, in extremis partibus, tanquam in latericio opere, pro muro ponuntur, & reliquos omnes ipsi extra spectantes ambulant. Ceteri qui latiora scuta gerunt, in medio densi locantur, & scuta cum super se, tum super alios attollunt, vt in tota phalange non sit aliud quam scuta cernere, & a telorum tactu omnes tutos esse, ob densitatem instructionis. Adeo n. validē firmanē, vt & super eam homines aliquot ingredi possint, imo etiam equi & currus agi, quoties in casu & angusto aliquo loco cōstipantur. Quod equitem curruq; sustinuerit, vix fieri potuit, nisi forte pilis humi fixis adiuuarent. Nunc quia scuta defunt, fieri testudo non potest, nec expedire esse, cum conferti tormentis disijci possint. Equitem hactenus sustinent vt suo loco dicturus sum.

Testudo ex
loqui ma-
china.

Vegetius Testudinem, arietem, falcē, hunc in modum describit. l. 4. c. 14. De materia, ac tabulatis testudo contextitur, quae ne exuratur incendio, corijs, vel cilicij, centonibusque vestitur. Hec intrinsecus accipit trabem, quae aut ad unco praefigitur ferro, & falx vocatur, ab eo quod incurua est, vt de muro extrahat lapides: aut certe ipsius caput vestitur ferro, & appellatur aries: vel quod more arietum retrocedit, vt cum impetu vehementius feriat. Testudo autem a similitudine verae testudinis vocabulum sumpsit: quia sicut illa modo reducit, modo profert caput: ita machinamentum interdum reducit trabem; interdum exerit, vt fortius cadat.

Testudo itaque generale nomen est, quod arietem & falcē continet. Carthaginensium inuentum fuisse refert Vitruvius l. 10. c. 19. Carthaginenses, inquit, ad Gades oppugnandas castra posuerunt: cum autem castellum ante cepissent, id demoliri sunt conati. Posteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, sumpserunt tignum, idque manibus sustinentes, capiteque eius summum murum continenter pulsantes, summos lapidum ordines deticiebant, & ita gradatim ex ordine totam communionem dissipauerunt. postea quidam faber Tyrus, nomine Pephasthenos, hac ratione & inuentione inductus, malo statuto, ex eo alterum transfuersum vti trutinam suspendit, & reducendo & impellendo reuoluentibus plagis deiecit Gaditanorum murum. Cetrus autem Chalcedonius de materia primum basim subiectis rotis fecit, supraque compegit arcecharijs, & iugis varas, & in his suspendit Arietem, corijsque bubulis textis, vt tutiores essent, qui in ea machinatione ad pulsandum murum essent conlocati. Id autem quod tardos conatus haberet, testudinem arietariam appellare coepit. Verum ante in Palæstina fuit.

Testudinem Lippius triplicem esse docet. χαλῶν ἡρώς erat ad fossas opplendas, vias æquandas. χαλῶν ἡρώς ad fodendum comparata arietaria, cui aries illigatus erat. Testudo dicitur a tardigrado processu; magna enim moles erat, & firma contra ignes, catapultas, & saxa grandia.

De Ariete Lippius l. 3. poliore. d. 1.

Duae trabes Hagenoæ afferuntur, magna longitudine, ita vt facile a ducentis hominibus possint impelli: funiculi enim annexi sunt.

Maiores testudo erat Helepolis, qua vñs Deme-

trius, qui Poliorcetes dictus est, Marcellinus l. 23. Testudo, ait, compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clavis aptata, & contegitur corijs bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo asperguntur eius summa, vt flammeos detraxerit & misiles casus. Conferuntur autem eius frontalibus trifida cuspides praecutae, ponderibus ferreis graues, qualia nobis pictores ostendunt fulmina, vel fictores, vt quicquid perierit aculeis exsertis abrumpat. Hanc ita validam molem, palis & funibus regens numerosus intrinsecus miles languidiori murorum parti viribus admovent concitis; & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisparietibus aditus patefacit ingentes.

Helepolis.

§. 4. Vineae ad subruenda mœnia, plutei ad depellendos propugnatores admouebantur. Veg. l. 4. c. 15. Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari, barbaricoque vñs causas vocant. E lignis lentioribus machina colligatur, alta pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus sexdecim. Huius tectum munitione duplici, tabularis, eraribusque contextitur. Latera quoque vimine sepiuntur, ne saxorum, telorumque impetu penetrerent. Extrinsecus autem, ne immisso concremaretur incendio, crudis ac recentibus corijs, vel centonibus operitur. Ista cum plures facta fuerint, iunguntur in ordinem, sub quibus subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta. Plutei dicuntur, qui ad similitudinem absidis contextuntur vimine, & ciliciis, vel corijs proteguntur, ternique rotulis, quarum vna in medio, duae in capitibus apponuntur, in quamcūq; partem volueris admoventur more carpentis: quos obsidentes applicant muris; eorumque munitione protecti, sagittis siue fundis, vel missilibus defensores omnes de propugnaculis ciuitatis exturbant, vt scalis ascendendi facilius praestetur occasio.

Vineae.

Plutei.

Vites pergulas imitabantur, crates & tabulae erant, terra internebantur, & quandoque lateribus contra incendia. Dolabris porro fundamenta subruiebant.

§. 5. Musculi minores erant. Veg. l. 4. c. 16. Caesar l. 2. de bello ciuili. Duae trabes erant primum in solo aequae longae, distantes inter se pedes quatuor, conlocantur: inque itis columella pedum in altitudinem quinque desiguntur: has inter se capreolis molli fastigio coniungunt, vbi signa, quae Musculi tegendi causa ponunt, conlocantur. Ea super signa bipedalia iniiciunt, eaque laminis clauisque religant. Ad extremum Musculi tectum trabesque extremas, quadratas regulas, quatuor patentes digitos desigunt; quae lateres qui super Musculos struuntur, contineant. Ita fastigiato atque ordinatim structo, vt trabes erant in capreolis conlocatae, lateribus lutoque, & usculus, vt ab igne, qui ex muro iaceretur, citius esset, contegitur. supra lateres coria inducuntur, ne canalibus aqua immissa lapides diluere posset. Coria autem ne rursum igne ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur.

Musculi.

§. 6. Turres ambulatoriae maioris operis erant, Veget. l. 4. c. 17. Vide Lippium poliore. dial. 4.

Turres.

§. 7. Nunc omnia ista inutilia sunt, nostra enim tormenta paucis ictibus penitus disijcerent. olim vel eruptione facta incendebant, vel phalarica cuiusgenum nutrimenta indiderunt, exurebant.

Arietem catenis comprehendebant.

Aries inutilis.

Pulvinos opponebant.

Murum altiores faciebant, aut alium ducebant. Si inferior muro est, inutilis redditur. at obsidentes arte fallunt. Constat, inquit Vegetius l. 4. c. 19. inefficax machinamentum reddi, si inueniatur inferius. Verum obsidentes eiusmodi dolum adhibere consueuerunt. Primo talem exstruunt turrem, qua propugnaculis ciuitatis videatur inferior. Deinde secreto aliam de tabulatis intrinsecus turriculam faciunt, & cum muris fuerit machina sociata, subito funibus, trochleisque de medio turriculae illa produciuntur, de qua egredientes armati (quia altior inuenitur) statim capiunt ciuitatē.

Turricula in turri.

Rhodus artifex clam terram suffodit cuniculo, accedens machina pondere suo, solo cedente, subfedit.

Callias Helepolim intra murum traxit. Diogenetus sordium proiectu machinam impediuit. Malleolus

Malpoli.

T c t

Marcel-

Malleoli. Marcel lino sagitta est in modum coli, ignibus fecta. Malleoli autem, inquit, teligenus figuratur hac specie. Sagitta est cannea, inter spiculum & arundinem multisido ferro coagmentata, quae in muliebri colli formam, quo nectur lintea stamina, concutatur; Ventre subtiliter & plurifariam patet, atq; in alveo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento. & sic emissalentiuse arcu inualido (ictu enim rapidiore exstinguitur) si hase-rit vsquā, tenaciter cremat; aquisq; conspersa acrioris excitat asus incendiolorum, nec remedio villo quam supradictio pulvere consopitur.

Sambuca. Sambuca dicitur, Veget. l. 4. c. 21. à similitudine citharae. Nam quemadmodum in citharā chordae sunt, ita in trabe, quae iuxta turrim ponitur, funes sunt, qui pontem de superiore parte trochleis laxant, vt ascendat ad murum, statimq; de turri exeunt bellatores, & per eum transeunt mania vrbis inuadunt. Turri igitur iuncta est.

Tollenon. Exostra pons quide turri proteditur. Veg. l. 4. c. 21. Tollenon dicitur, Veg l. 4. c. 21. quoties vna trabes in terram praalte defigitur, cui in summo vertice alia transuersa trabes longior dimensa medietate connectitur, eo libramento, vt si vnum caput depresseris, aliud erigatur. In vno ergo capite cratibus siue tabulatis contextitur machina, in qua pauci collocantur armati. Tunc per funes vno attracto depressioq; alio capite eleuati imponuntur in murum.

Balistia. De balistis aliisq; Veget. c. 22. l. 4. Aduersum hac obfessos defendere consueuerunt balista, onagri, (scorpiones, arcubalistae, fustibales, sagittarii, fundae. Balista funibus, neruis (chor- dusq;) tenditur, quae quanto prolixiora brachiola habuerit, hoc est, quanto maior fuerit, tanto spicula longius emittit: quae si iuxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatus homi- nibus, qui mensuram eius ante collegerint, dirigatur, penetrat quodcumque percusserit. Onager autem dirigit lapides, sed pro neruorum crassitudine & magnitudine saxorum pondera iacu- latur. Nam quanto amplior fuerit, tanto maiora saxa ful- minis more contorquet. Hi duobus generibus nulla tormento- rum species vehementior inuenitur. Scorpiones dicebant quas nunc manubalistas vocant: ideo sit nuncupati, quod paruis subtilibusq; spiculis inferant mortem. Fustibales, arcubalistas, & fundas describere superfluum puto, quae praesens vsus agno- scit: saxi tamen grauioribus per onagrum destinatis, non so- lum equi eliduntur, & homines, sed etiam hostium machina- menta franguntur.

Onager. Catapulta hastas, Balista saxa iaculabatur, sed interdum vtrumq; telum eadem machina. Nō fuisse vim parem nostris etiam minoribus tormentis docet Va- lerius de serpente Africano. Telorum iactu perforari ne- quiuisset, sed ad vltimum balistarum tormentis petatum, fili- cum crebris, & ponderosis ictibus procubuisse. Deinde ictus illi ligneas turres, coriaq; non facile frangebant; no- stra tormenta omnia transeunt. Scorpiones minora tela iaciebant, & vnus manu dirigebantur. Super- sunt alia armorum genera, quae quia obfidentibus fere propria sunt, in aliud caput distuli.

Fustibali. **Arcubalisti.** **Catapulta.**

CAPVT XX.

Delectum magna cura habendum.

S. I. **V**STVS Lippius l. 5. polit. c. 8. Militia nostra fla- gitia palam aspernatur. Delectus formam apud nos vllam negat esse. Emunt militem non legunt. Ad soni- tum tympani coeunt, ignoti inter se, ignorantesque purgamen- ta vrbiū suarum, quibus ob egestatem & flagitia maxima peccandi necessitudo est, affuei latrocinij, bellorum insolentes. Ego sane delectum militum nostrorum meliorem ef- se optarem; sed tamen olim quoque vitiosus erat, & crebro pessimorum, certe inuitorum: neq; noster adeo vituperandus est. Veteres ergo videamus. Primum non erat volonum, sed coactorum respondere ad no- mina. Quae ex tot Romana ciuitas dicordias exper- ta est, cum acerrimum Tribunorū telum esset impe- dire delectus, quod interdū cum extremo patriae pe- riculo fecerunt. Quin etiam instar fugitiuorum man-

Veteris de- lectus inco- modus.

cipiorum stigmatibus inusti sunt. Eodem modo notati sunt & Fabricenses, vt habet constitutio Arcadij & Honorij c. l. 11. Magna fuit omnium signatorum obli- gatio; Julianus legem tulit, ne ante expleta stipendia ad monasteria admitteretur. feruiles igitur milites & Fabricenses erāt, quomodo igitur plibertate pugnaret?

Deinde cum inuitti sacramento adigerentur, timi- dius pugnabāt, domum respectabant. Volonum autē maior est alacritas. Docuit hoc quoq; Romana resp. seu potius eius calamitates. Bello secūdo Punico (Li- uius l. 22.) octo millia seruorum empti sunt, interrogati singu- li; vellentne militare? magno vsui miles ille fuit, & me- rito inter Quirites recensitus. Non iniuncta est hi- storia quam recitat Liu. l. 24. Legiones magna ex parte vo- lonum habebat (Tib. Gracchus) qui iam alterum annum li- bertatem mereri quam postulare maluerant. senferat tamen hybernū egrediens murmur in agmine esse querentū, nūquā- ne liberi militaturi essent? scripseratq; senatus, non tam quid desiderarent, quam quid meruissent, bona sortiq; operā eorum se ad eam diem vsū: neq; ad exemplum iusti militis quicquā eis praeter libertatē deesse. De eo permisi ipsi erat, faceret quod ē Rep. duceret esse. Itaq; priusquā cum hoste manum confereret, pronunciat, tempus venisse eius libertatis, quam diu sperasset, potiūda. Postero die signis collatis dimicaturū puro ac patenti campo, vbi sine villo insidiarū metu vera virtute geri res posset. Qui caput hostis retulisset, eum se exemplo liberum iussurum esse, qui loco celsisset, in eum seruilis supplicio animaduersurum. Suam cuiq; fortunam in manu esse libertatis auctorem eis non se forte solum, sed COS. M. Marcellum esse, vniuersos patres, qui consulti ab se de libertate eorum sibi permisissent. Literas inde COS. ac S. C. recitauit. Ad quae clamor cum ingenti assensu est sublatu, pugnam posebant signumq; vt daret extemplo, fero- citer instabant. Gracchus praeto in posterum diem pronuntia- to, concionem dimisit. Milites lati, praecipue quibus merces na- uata in vñ diem opera libertas futura erat: armis expedien- dis, quod reliquū diei fuit, consumpserunt. Postero die vbi signa ceperunt canere, primi oim parati instructiq; ad pratorium co- ueniunt, sole orto Gracchus in aciem copias eduxit. Nec hostes moram dimicandi fecerunt. Decem & septem millia peditum erant, maxima ex parte Brutij ac Lucani: equites MCC. inter quos pauci admodum Italici, ceteri Numidae fere omnes, Mau- rigi. Pugnatum est & acriter, & diu, quatuor horis neutro in- clinata est pugna. nec alia magis Romanū impendebat res, quā capita hostium precia libertati facta, nam vt quisq; hostem im- pigre occiderat, primum capita agre inter turbā tumultūq; abscindendo, tempus terebat. deinde occupata dextra tenendo caput fortissimus quisq; pugnator esse desierat: segnis ac ti- midistr adita pugna erat. Quod vbi Tribuni mil. Graccho nū- ciauerunt, neminem stantem iam vulnerari hostem, carnifica- ri iacentes, & in dextris militū pro gladiis humana capita esse: signum dari prope insit, prouicerent capita, inuaderentq; ho- stem, claram satis & insignem esse: nec dubiam libertatem fu- turā strenuis viris. Tū redintegrata pugna est, & eques in hostē emissus. Volones igitur, imo ferui imperium seruauit.

Pro liberta- te pugnauit.

S. 2. Delectum Romanū hunc in modum Polybius exponit. Cum vero Delectum habituri sunt, Consules publicē diem prodicunt, quā die Romanos omnes adesse oporteat, qui- bus etas sit militaris. Faciunt hoc penē quotannis. Cum igitur dies adesset, & militaris omnis iuuentus in vrbe, & mox in Ca- pitolio congregata, tum diuidunt se Iuniores Tribuni eo ordine quo à populo ab sine Imperatorib; sunt facti, in quatuor partes. Quia nimirum quatuor apud eos legiones totam & praecipuam copiarum diuisionem faciunt. Et primos quidem designatas quatuor Prima legioni dicte attribunt; tres proximos secun- da, quatuor alios Tertia, denique tres vltimos Quarta. Senio- rum vero Tribunorum duos quidem primos Prima: tres alios Secunda: duos sequentes Tertia: denique tres vl- timos Quarta. Facta autem diuisione Tribunorum eiusmo- di, vt omnes legiones tam pari numero habeant duces, tum sedes se iungunt, & seorsim Tribuni cuiusq; legionis prius for- tiuntur singulatim, & euocant vt in quamq; fors cecidit. Ex ea eligunt quatuor iuuenes etate & promptitudine propemodum aqua-

Volones pri- stant inui- tis.

Pro liberta- te pugnauit.

Dies dele- ctus.

Tribus for- sum vocatq;